Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 587
Quelle:
Copyright:

regum delucidanda mihi — miſiſti &c. Sequitur *Capitulare* XXX. *Quaeſtionum*, cui tamen deinceps non adhaeret Textus, ſed ad XXXII. nullo tamen augmento progreditur. Ejus initium: *Quod ait prophetа* (ad Heli) *loquens ex perſona dei. & ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem* &c. ut Opp. omn. edit. *Colon.* 1688. T. IV. *col.* 333. f. quae Editio, ut quaedam legat melius, in aliis tamen e Codice perfici poteſt, qui v. g. in *Praef.* rectius habet: *uel habitę non intelligantur*, quam *vel habere non intelligantur*, et *Quaeſt.* I. rectius: *mediator dei et hominum*, quam *mediator Dei et Dominum*; item *paternorum ſit in omnibus conſcius arcanorum*, quam *patris in omnibus conſcius arcanorum*; item *in domo pereunte ſacerdotis heli, neceſſe eſt ut veniens ad eccleſiam offerat*, quam *Pereunte ſacerdotio Heli neceſſe eſt, ad Eccleſiam offerat* &c.

CCCI.

U. 101 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 84. 4. per duas columnas luculente exaratus, rubro diſtinctus et quondam cum tot aliis ab *Joh. Fabro* Ep. *Vien.* adoleſcentis Cleri ſtudioſiſſimo addictus ſuo ad D. *Nicolaum* Seminario continet *D. Hieronymi Explanationem in Danielem Prophetam.* Praefatio ad *Pammachium* et *Marcellam* incipit: *Contrà Danielem prophetam duodecimum librum ſcribit porphirius* &c. Id ſingulare, quod poſt verba: *in titulo eiusdem belis fabule ponitur*, Librarius noſter hanc Notam miniatam interſerit: *Incipit expoſicio ſancti Jeronimi presbiteri ſuper danielem prophetam. prout potuit breuiter explanauit. vt eo facilius ſecreta illius legentibus panderentur quo commentico* (ita) *ſermone dictata uiderentur. Hoc opus domino adiuuante ita exorſus eſt*, et deinceps Praefationem continuat, deceptus, ut videtur, a verbis ſequentibus: *Homo quidam erat ſacerdos nomine danibel*, quae ſacri textus initium eſſe rebatur. Ceterum omnia integra ſunt, ut docet collatio cum edit. *Vallarſ.* T. V. *col.* 617. textusque ſatis emendatus. Ad oram ſuperam *fol.* 44. legitur: *Iſte liber eſt monaſterij Sancte dorothee* (quondam Canon. Reg.) *Wienne*; unde ad *Fabrum* devolutus fuerit. Quo ſenſu nae vel hodie Libri ſaepe Volumina ſunt!

CCCII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 12 XIII. Folior. nunc 240. f. per duas columnas charactere luculento, atro exaratus, rubricisque pernotatus natales ſuos his ad calcem verſibus prodit:

Fida mente. loci rupertus ſemper honori
Intendens. ſumptus libri large dedit huius.
Tempore prepoſiti ſcriptus liber iſte richardi
Ex quo prelatus undenus uoluitur annus.

Quid